



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Pvrgatorio

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XI. Ignem Purgatorij esse corporeum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

## CAPVT XI.

*Ignem Purgatorij esse corporeum.*

 **V**ANTVM ad PRIMVM, communis sententia Theologorum est, verum & proprium esse ignē, & eiusdem speciei cum nostro elementari. Quæ sententia non est quidem de fide, quia nusquam ab Ecclesia definita est, immò in Concilio Florentino Græci apertè professi fuerant, se non ponere ignem in Purgatorio, & tamen in definitione facta sessione vltima, definitur Purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilissima.

**P R I M O**, propter consensum Scholasticorum, qui non potest nisi temerè contemni.

**S E C U N D O**, propter Gregorij auctoritatem lib. 4. Dialogorum, cap. 29. vbi disertè assertit, ignem, quo puniuntur animæ, esse corporeum. Neque obstat, quod lib. 15. cap. 14. moralium dicit, ignem Gehennæ esse incorporeum; est enim mendum scriptorum, qui posuerunt (incorporeum) pro (corporeum) vt patet ex sequentibus, dicit enim statim corporaliter vrere.

**T E R T I O**, propter Augustinum, qui in eandem sententiam propendet lib. 21. cap. 10. de ciuitate Dei.

**Q U A R T O**, quia in Scriptura passim pœna impiorum vocatur ignis; & regula Theologorum est, vt verba Scripturarum accipientur propriè, quando nihil absurdi sequitur.

**Q V I N T O**, quia corpora damnatorū punientur igne post resurrectionem, vt patet Matth. 25. *Ite in ignem aeternum;* at corpora non possunt vri, nisi igne corporeo. Est autem idem ignis corporum damnatorum, & spirituum corpore vacantium; nam ibidem dicitur: *Qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

**S E X T O**, quia Sap. 11. dicitur; Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur; sed homines peccant sape sensibilia oblectamenta inordinatè cupiendo, ergo puniri debent sensibilibus obiectis, ignis igitur quo puniuntur, sensibilis est.

**S E P T I M O**, id confirmatur ex eruptionibus ignis in monte Æthna, aliisque locis, de quibus diximus, cap. 6.